...ulus Ign.
...nski Martini Plausus gratulatorius vir
...uti et honori.

PLAUSUS GRATVLATORIVS.

Virtuti & Honori,

ADMODUM REVERENDI DOMINI,

D. PAVLI IGNATII ŁUSCZEWSKI,

CANONICI Regularis Lateranensis Ordinis Sancti AUGUSTINI, Conuentus Calissiensis Professi:

DVM

In Alma Vniuersitate Cracouiensi,

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Perillustris, Magnifici, & Admodum Reuerendi Domini,

D. M. FRANCISCI PRZEWOSKI,

Sac: Th: Doctoris, & Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiarum Collegiatarum, S. ANNÆ Crac: DECANI, Kurzelouiensis Scholastici, Contubernij Hierosolymitani Prouisoris, Almæ Vniuersitatis Academiæ Cracouiensis, Generalis & Vigilantissimi RECTORIS;

A

Perillustri, & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. MARTINO WINKLER,

Sac: Th: Doctore, & Professore, Collega Maiore, Ecclesiarum Collegiatarum, Sandomirien: Præposito, S. Floriani ad Cracouiam Decano, Kielceń: Scholastico, Contubernij Gelaniani Prouisore:

Sacrâ Doctoratus Theologici Laureâ

INSIGNIRETVR:

A

M. MARTINO OSLINSKI, Phil: Doct: & Profess: Collega Minore,

Votiuo concentu

EXCITATVS.

Anno Salutis M. DC. LXXXV. Die 19. Nouembris.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

495

PLAUSUS GRATVLATORIVS.

DEscende celso vertice protinus,
Assueta neruis, Musa, loquacibus;
Modosq; quantumuis remissos,
Attenua meliore plectro:
Descende; pulcher laudis honor vocat;
Quem clara Virtus non studio leui
Parauit, inter perpolitas
Ingenij pretiosioris
Artes. Vocaris rursus ad auream
Chelyn; sonoro pectine peruola
Fides canoras,; & venusto
Fila lyræ numero reuolue.
Te, Te, nouis iam, DOCTOR, honoribus
Ornate, præstò Musa canit mea:
Sic Te coronatum remotis
Auribus icta chelys loquetur.
Quàm pulchra doctis meta laboribus,
Honor togatus. sed magè pulchrior,
Præire Virtus pertinacem
Cuî voluit studio laborem.
Hæc cura mentem sollicitè Tuam
Fouisse fertur; primaq; candidæ
Stillâsse virtutis saporem,
Herculeos imitando gestus:
Primas vt inter, tam pia, fascias
Versasse credam, Te meditamina;
Immanis vt posses Hydræ tum
Colla super numerare palmas.
Vicisse magnos quis neget impetus?
Te clare DOCTOR; dum niueum Tuæ
Florem iuuentæ tradidisses
AVRELII Patris institutó;
Cuî Lateranum dignius indidit
Nomenq;, cultumq;: hic vbi Sarmata
CALISSIENSIVM reponit
Mœnia, ponè fluenta Prosnæ.

His tam ſecundis ſub penetralibus,
Ad eminentes creſcere laureas
Virtus amauit, per omnes
Vecta gradus rigidi laboris.
Quod Stoa durum continet, indoles
Amica Muſis pertulit; inclyta
Stagyra præclarum quod ambit;
Par animo, ſtudioq; felix
Cum laude preſſit: difficilis neq;
Euripus obſtat; quin placido ſinu
Repoſta curſum terminaret:
Congeminans Io ter triumphe.
Sed ſanctioris gloria pectori
Hæſit Magiſtræ, celſior in ſacris
Quæ fulget exedris; & inſtat
Hanc ſtudio grauiore promi,
Perfecta donec cerneret omnia,
Matura palmæ, dignaq; Laureâ
Apollinari: literato
Quam petijſſe viro decorum.
Nec inter vmbras, dedita gloriæ,
Hærere, Virtus ſuſtinuit diu:
It prompta, ſi Alpes vel niuales,
Vel Rhodopum ſuperanda cautes,
Tendit, nitentes diues Amor faces
Quò monſtrat, vt ſic Matris honoribus
Gaudere poſſit: quò Paternum
Eximium decus anteiuit.
Fortes creari fortibus; & bonis
Intaminatos; quàm benè diſcimus,
Exempla dum clari ſecutum
Conſpicimus memores Parentis.
Hîc ille quondam cingere tempora
Lauru Sophorum cenſuit inclytum;
Non inſecundo auſu; futurus
Delicium Themidos Polonæ.
Aſtræa ſenſit vim Petricouiæ
Eius loquentem; ſenſit & optimus
Effata Iudex: quiſq; fidum
Poſt genitis memorare amabit.

Nutrita proles vbere candido,
Cui Paternum ſplendet ebur genis,
Quæſiuit augem, par honori
Theologo; ſociatq; flammas,

Inſignis olim quas DAMALEVIVS
Senſit pudica mente, Academicas
Amans coronas. Hic Tuarum
Nonné iacit monumenta laudum?

Appone pulchris hanc quoq; Laureis;
Victoris omen cùm Tibi dicimus,
Victorioſo ſub colendi
Præſidis auſpicio, create

DOCTOR. ter amplas dixero iam Tuas
Laurus & actus; gloria ſanguinis
WERESCZIANI quos adauget
Omine: quid potius requiras?

Hunc digna Virtus; hunc pietas regit,
Hunc zelus ambit, relligio quoque
Præfert; & ornat docta Pallas;
Integritas, probitaſq; ſtipat:

Et quod venuſtum pectus amabile
Tenere poſcit; continet integrum:
Illaq; laude fulget, vt ſit
Gemma, decus, columenq; veſtrum.

Heròá magni mens NIESOLOVII;
Caliſſienſis Præpoſiti; Tuo
Honore læta: quiſq; ritè
Vota facit bene-ſuaſus vltrò.

Sic Te labores inter amabiles,
Virtus beatis deſtinat inſulis
Honoris, inq; altum cacumen
Sternit iter potiore cultu.

Certuſq; famæ es; dum Sapientiæ
Conſultus, alti niteris ingenî
Pennis; & altum Dedalæis
Certior auſpicijs inerras.

Lætamur Io! milleq; plauſibus
Exuberantis lætitiæ Tibi
Fauemus, vt felix perennes;
Atq; Tuos Neo-Doctor ornes.